ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. PGB 922

Ijsewijn

Lovanio, 26 maggio 1986

Curia Generalizia - Roma

81

Katholieke Universiteit
te Leuven

BIBLIOTECA P. P. SOMASCHI
COLLEGIO GALLIO
COMO

Lovanii, 26 v 1966.

Carissime Pater,

Post binas a te acceptas litteras iam tandem ad breve responsum festino. Excusatum me habeas, qui migratione in novam domum, morbo influenza, periculis in universitate accipiendis vix aliquam morulam ad scribendum inveniam. Libenter relationem legi de reditu tuo in conventum Rapallensem. Et ego prospero itinere usus sum: aliquantisper Mediolani moratus sum ubi professorem Billanovich, quem tribus annis ante Lovanii videram, denuo salutavi.

Quod totum Sanderi librum legisti miror: est scriptus lingua abstrusa et contorta, quae etiam Nederlandice loquentibus taedium et nauseam parit. Ceterum thesaurus est rerum. Sanders doctor est Universitatis Gandavensis apud Belgas, ubi ni fallor, adiutor est professoris Lambrechts. Aetate meus fere est aequalis, paulo fortasse senior. Cur quosdam libros non laudaverit nescio. At quis omnia nosse potest?

Rogare te ausim, carissime pater, ut in orationibus tuis aliquando memor sis soceri mei Iulii, qui nuper diem supremum subito obiit

Novam domum benedixit canonicus professor Aerts, qui mecum erat Romae.

Optime vale, pater carissime; ut primum vacat, fusius scribam

totus tuus